

Letter 3: November 1516, Basel, Capito to the Reader

This is the preface to Capito's *Institutiuncula in Hebraeam linguam*, which was printed at the end of Conradus Pellicanus' *Hebraicum Psalterium* (Basel: Froben, 1516) ff. aa2v-bb8v.

Volphangus Faber Haganoius pio lectori s.d.

En, amice lector, [gr.] egcheiridion psalterii, perutile meo quidem iudicio et in primis frugiferum, quod identidem quidem [gr.] en cheiri versum [gr.] procheiron ten choregian suppeditat paratasque opes in usum itineris amplissimae scripturae. [gr.] Ten choregian autem sumptumque  
5 liberalem ac abundantes divitias voco in sacris literis eloquendi morem pernovisse, quo ceu numo quantumvis fructus voluptatesve in alimentum animo comparamus, prae negotii magnitudine fathiscenti. Divini siquidem nitor eloquii cui vel semel affulserit etiam ignavissimo, mirum in eo relinquit ardorem, incredibilemque studiorum vehementiam ac impetum quam proxime  
10 perven[i]endi ad eius suaveolentiam capescendam. Tam grato autem fulgori una idiomatis cognitio recludit oculos, alioqui ad hunc videndum omni caeciores leberide. Ergo, quid quo modo dicatur intellige et actutum intelliges illicem orationis puritatem, uberrimis confertam sentiis optimam rerum consequentiam atque ex altero semper alterum adiunctissime dependere. Sin, ut multi, contempseris intelligere, divina isthaec dicendi maiestas et inculta et acerba stupori tuo videbitur et penitus inanis, penitus frivola, adeoque [gr.] heolos tis psychrologia. Neque unquam aliter (quoniam  
15 quisque ut rem acceperit aestimat) senties, imo ne suspicaberis quidem. Quapropter sacrum dicendi morem quo solo tanquam clave ad arcana fores panduntur, e tantulo psalmorum libello compares velim, et in hoc cum avida, ut sic dixerim, manu revolvam, perdiscasque accuratius, idque in sua lingua. Inde velut e fonte limpidissima in te veritas, haud dubium, largiter influet. Inde primam scaturiginem passo sinu venamque pulcherrimae eruditionis excipies, mundam quidem a coeno,  
20 minimeque turbatam bestiarum pedibus. Hae sunt in has literas illecebrae, hoc dulce lucrum in intentione laborantem continens. Hae sunt omnibus modis incomparabiles divitiae, quibus instructus e paupere commentariorum domo, non iam [gr.] oikositos in apertum scripturae pelagus exilies, tua post hac industria, ut liberum decet, splendide victurus. Tanta commoda perquam exiguus psalmorum libellus adiiciet, lectus ad scribendi,<sup>1</sup> ut Fabii verbum loquar, sollicitudinem. Astipulatur  
25 Adrianus Titanus, vir ille in sacris vehementer exercitatus, qui ex idiomate David potissimum utrique simul instrumento magnam attulit lucem in eo opere, cui titulum fecit, [gr.] Eisagogen eis tous skopous tes theias graphes.

Neque est quod linguae sanctae adhuc rudis, rem sane proclivem desperes, quandoquidem ad manum habes, quo cunctam difficultatem, si qua est, evincas, nempe laborem, ut poeta dixit,  
30 improbum atque pertinacem industriam. Adnitere modo, spem omnem superabit eventus. Biduo nancisceris lectionis facultatem, semestri deinde constabit intelligentia, collatis Latinis verbo verbum reddenti, citra omne praeceptoris adiumentum. Quid vel ultima quaeque subire dubitas, ut mox queas intimo quodam gustu literarum perfrui? Adnitere, meam operam ultro polliceor, fideliter facientem adiuvabo. Etenim nuper in studii tui praesidium per istas nundinarum ferias aedidimus  
35 tibi institutionem in literaturam hebraeam, quam ad usum tantum conscripseramus generosi adolescentis Harmanni Halvileri, ingeniolum eius [gr.] chrestas echon elpidas ad cursum tali concitantes invitatiuncula, postea vero Beato Rhenano monitore, qui bonis literis et studio tuo fovendis natus videtur invulgandam Frobenio dedimus, profecto plus quam rudem, et a follibus, ut aiunt, etiamnum spirantem, quippe quod ei pauci admodum dies adeoque negotiis intercisi  
40 obtigerunt.

---

<sup>1</sup> Corr.: adscribentis.

Incauti us nos aleae commisimus, tibi profuturi, ideoque iudicium siquando adversum nos  
susceperis, sine procacitate quaeso exerceas, meminerisque quaecunque sit ac quantulacumque,  
opellam tamen esse fidi pectoris ac rem tuam, candide lector, egisse exoptantis, quam denique  
actam tunc demum egregie putabo, si magis assiduus in sacra fueris lectione. Habeo quidem  
45 persuasissimum unius pietatis studio, tanquam per certum aditum ad praecelsa eruditionis fastigia  
pertingi posse. Quia ut divus asserit Vulgarius, [gr.] he syneches anagnosis ton deion graphon eis  
ten gnosin auton agei. Nostram itaque primam foeturam, quanquam praematuram, si desint meliora  
et unquam tibi consultum voles perlegito semel atque iterum, arridebit tibi species theologiae, neque  
50 me vanum neque [gr.] agathonion aulesin, iuxta proverbium, occinuisse fateberis. Operaeprecium  
tamen interim facturus videor, si hic quoque lectionis compendiolum indicavero.

Duo et viginti sunt elementa Hebraeis...

Si quae alia desyderas ad linguam sanctam adiumenta, ex libello nostro comparare poteris cui  
titulum praetulimus Institutionem in Hebraicam literaturam. Viam illic pro virili stravimus ad  
intelligentiam progressuro, hic autem quod ipse psalmorum libellus ad multos admodum  
55 quaterniones surrexisset, cavendum nobis fuit, ne plura de nostris assuentes nullam plane enchiridii  
rationem, quod breve et gestatu commodum esse debet, habuisse videremur. Proinde haec boni  
consulas, aliquando ex Institutione illa copiosius erudiendus. Bene vale, candide lector, et me ama.  
Basileae, mense Novembri. Anno MD XVI.